

le præscripta clariùs explicare, eaquæ omnia, quæ ipsam
attinent, tribus distinctis sectionibus eâ quâ fieri poterit
perspicua brevitate proponere.

ANALYSEOS

Aristotelico - Euclidæ

sectio 1.

De Definitione & Subjecto Demonstrationis.

CAPUT I.

De Definitione.

§. 1.

DEMON-
STRATIO
quid penes
Mathema-
ticos

Et Aristote-
lem?

Nempe Syl-
logismus, nō
Sophisticus,

Sed verus &

Est autem *Demonstrare* (ut universim dicamus) uti penes
omnes Mathematicos, ita cum primis penes Euclidem ni-
hil aliud, quàm rerum propositarum certitudinem necessari-
am è certis principiis tanquam suis causis à parte rei necessariis
indubitato cognoscendam syllogisticè deducere: Quò sensu etiam
ipsum Aristotelem voce *δείξαι* vel *ἀποδείξαι* fuisse usum, non
tantum ex 1. Post. cap. vi. §. 3. & aliis plurimis Analytico-
rum locis constat; sed & indè maximè intelligitur, quod u-
trumquæ τῷ διαλέγεσθαι: Demonstrationem item Syllogismo
Dialectico. 1. Top. 1. Propositionem ἀποδεικτικὴν τῆ διαλε-
κτικῆ 1. Prior. c. 1. Scientiam denique (finem demonstratio-
nis) Opinioni (Topici syllogismi fini) 1. Post: c. xxvi. (aliis
xxx) ex adverso ponit.

§. 2. Quoniam enim Sophistici syllogismi non nisi
ὁμωνύμως Syllogismi dicuntur (Arist. 1. Soph. Elench. c. 1.)
adeoque medius verus inter Syllogismum dialecticum, qui
opinionem seu cognitionem non certam ex probabilibus &
contingentibus generat: & demonstrativum, scientiæ seu
certæ cognitionis, ex certis & necessariis ortæ genitorem,
non datur; patet omnem verum Syllogismum, qui non ex
probabilibus, sed ex veris, certis, & necessariis infert, scien-
tificum seu demonstrativum ab Aristotele dici, atque indè,
ut eidem τῷ διαλέγεσθαι nihil aliud est, quàm rerum apparen-
tem